



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Confirmatio Constitvtionvm Friderici secundi & Carolinae, cum multis adiectionibus per Concilium Constantiense in decimanona sessione, quibus libertati ecclesiasticae plurimum fauetur, & ob id ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1418.

cilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus Romanorum pontificum, tam a iudicibus delegatis, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quæ possint in hac parte vestra iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare, seu si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu vltra vel extra loca ad iudicium euocari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi & eorum personis, locis & ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestra iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis.

Datum Constantiæ octauo Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

CONFIRMATIO CONSTITVTIONVM

Friderici secundi & Carolinæ, cum multis adiectionibus per Concilium Constantiense in decimanona sessione, quibus libertati ecclesiasticæ plurimum fauetur, & ob id adiiciendam præfato operi constituimus, vt ex illa, quantum deferendum sit ecclesiæ, quisque agnoscat.

*f. in speculum se
cōsiderationis.

SACROSANCTA Synodus Constantiensis* in speculum suæ considerationis extollens, quam grauissima dispendia ecclesiæ, monasteria, hospitalia, xenodochia, & alia pia loca ac personæ ecclesiasticæ sic tempore guerrarum & lugubris schismatis, proh dolor, causante malitia & ambitione mentium humanarum, ad talia diuersis coloribus, modis & titulis inhiantium improbe, hætenus per tulerint, maxime a tempore felicitatis recordationis Urbani papæ sexti inclusiue citra, ac perferant incessanter in talliis, collectis, exactionibus, occupationibus, inuasionibus, detentionibus, distractionibus, concessionibus, venditionibus, infeudationibus, emphyteoticis & aliis loca-

Concil. La-
ter. sub In-
nocent. III.
cap. 46.

tionibus, donationibus, dimembrationibus, dationibus, permutationibus, & aliis variis & diuersis alienationibus regnorum, prouinciarum, comitatum, dominiorum, territoriorum, districtuum, ciuitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum, bonorum, iurium etiam spiritualium, ac iurisdictionum ad Romanam & ecclesias alias, monasteria, hospitalia, xenodochia, & pia loca, ac personas huiusmodi communiter vel diuisim spectantium, aliisque grauaminibus haecenus a dicto tempore citra, & per ipsum tempus, seu ipso tempore usque in praesentem diem, praeter seu contra dispositionem iuris scripti quomodocumque & qualitercumque impositis, illatis, factis, seu praesumptis, aut attentatis: Ac intendens, & cupiens circa reformationem immunitatis ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, ac recuperationem bonorum & iurium suorum diligenter intendere; quamuis dudum contra saeculares potestates, nec non consules ciuitatum, ac alios, qui ecclesias & viros ecclesiasticos talliis, collectis & exactionibus aliis aggrauare nitentur, in Lateranensi Concilio immunitati ecclesiae prouisum fuit, per quod huiusmodi praesumptio sub anathematis districtione prohibita fuit, & illius fautores & transgressores excommunicationi subiaceri praecipit huiusmodi Concilium, donec satisfactionem earundem impenderent competenter, ac etiam constitutiones & sententiae, quae a talibus vel de ipsorum mandato forent promulgatae, inanes & irritae haberentur, nullo tempore valiturae. Et ut nullus vano in hoc deciperetur errore, ut infra tempus sui regiminis huiusmodi anathema sustineat, quasi post illud non esset ad satisfactionem debitam compellendus, decretum fuit in eodem Concilio, & ipsum qui satisfacere recusaret, & successorem illius, nisi satisfaceret infra mensem, manere debere ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceret competenter, cum etiam succedere debeat in onere, qui substituitur in honore. Et licet etiam in sacris legibus pro libertate & immunitate ecclesiastica, siue ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, multa salubria & fauorabilia statuta fuerint, dudum felicitis recordationis Honorius papa tertius attente considerans, quod quondam Fridericus secundus olim Romanorum imperator, tunc

ANNO
CHRISTI
1418.

tunc sub obedientia & deuotione sanctæ Romanæ ecclesie persistens, ad laudem eiusdem ecclesie & sacri decus Romani imperii, cupiens, vt expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis penitus destitutis, de cetero ecclesie & ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete, & secura libertate gauderent: ac pie & iuste attendens, quod quorundam peruersorum iniquitas adeo abundauerat, vt non dubitarent contra ecclesiasticam disciplinam & sacros Canones statuta sua confingere aduersus ecclesiasticas personas & ecclesiasticam libertatem, editali lege huiusmodi statuta iniqua irritauerat, & præceperat irrita annuntiari, & omnia statuta & consuetudines * contra ciuitates & loca, potestates vel consules, aut quæcumque aliæ personæ contra libertatem ecclesie & ecclesiasticas personas huiusmodi edere aut conseruare tentauerint contra canonicas & imperiales sanctiones, de ipsorum capitularibus infra duos menses post huiusmodi legis publicationem penitus aboleri facerent: & si de cetero talia attentarent, illa ipso iure decreuit esse nulla, & eos sua iurisdictione priuatos: nec non locum vbi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri fisco imperiali præceperat subiacere: potestates vero, consules, statuarii & scriptores statutorum prædictorum, nec non consilarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memoratas iudicarent, extunc essent ipso iure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliquantulum non tenere: quodque si per annum præfatarum constitutionum inuenti forent contemptores, bona eorum per totum suum imperium mandauit impune ab omnibus occupari, saluis nihilo minus aliis pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis. Et insuper voluerat tunc idem imperator, quod nulla communitas vel publica persona seu priuata collectas seu exactiones, angarias vel per angarias, ecclesiis vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis huiusmodi imponeret, aut inuadere ecclesiastica bona præsumeret: quod si secus faceret, & requisita ab ecclesia vel imperio huiusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilo minus banno imperiali subiaceret, quod sine satisfactione nullatenus remitteretur. Statue-

Concil. Tom. 29.

LIII

Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. 44.

rat insuper, quod quæcumque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem ecclesiæ violatam persisteret, ipso iure banno imperiali subiaceret, a quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinauerat, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel ciuili ad iudicium sæculare præsumeret trahere contra canonicas sanctiones, & contra constitutiones imperiales: quod si secus faceret, actor a suo iure caderet, & iudicatum non teneret, & iudex foret extunc iudicandi auctoritate priuatus: quodque iudices temporales, qui clericis & personis ecclesiasticis iustitiam denegare præsumerent, tertio requisiti, suam iurisdictionem amitterent, prout dicta imperiali edictali constitutione plenius continetur. Diciturque Honorius constitutionem ipsam de consilio etiam fratrum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, qui tunc erant, auctoritate apostolica approbans & confirmans, ipsam mandauit inuiolabiliter obseruari: nec non statutarios & scriptores prædictos, excommunicatos eadem auctoritate nuntiari.

Et deinde ad euentiam diuæ memoriæ Caroli quarti etiam Romanorum imperatoris semper Augusti deducto, quod nonnullæ sæculares personæ in potestatibus & officiis publicis constitutæ, videlicet duces, marchiones, comites, & alii domini temporales, nec non consules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum rectores, in eorundem prouinciis, Dei timore postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes motu proprio & de facto, contra personas ecclesiasticas & ecclesiarum libertates, & harum priuilegia, considerant, illisque de facto & publice utebantur contra canonicas & legitimas sanctiones: vtpote quod nulla bona temporalia in vim & potestatem ecclesiasticam transferantur, & ne clerici in sacris constituti ad agendum & testificandum in ciuilibus, & maxime in piis causis, aliquatenus admitterentur, quodque excommunicati laici & publice denunciati in foro ciuili minime repellerentur. Et insuper cum prædicti domini temporales, consules & rectores per sæcularem potestatem

ANNO
CHRISTI
1418.

res ac bona clericorum occuparent, arrestarent, & oblationem Christi fidelibus minuere atque restringere, exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus ecclesiarum exigerent & extorquerent, possessiones ecclesiarum & personarum earumdem deuastarent incendiis & rapinis, contractus inter clericos & laicos factos legitimos, ac libros ciuitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum predictorum inscribere & sigillare recusarent, donataque & legata ad fabricas & ecclesiarum structuras, contra dictorum & praefatorum voluntatem, & aliorum quorum intererat, contra iustitiam vsurpare praesumerent, ac in fraudem & odium clericorum de bonis ecclesiae, rebus clericorum, quae non causa negotiationis, sed pro eorum propriis vsibus per eorum terras & dominia ducebant, & duci faciebant, teloneum exigere & recipere non verebantur, & confugientes atque currentes ad ecclesias & earum coemeteria, inde extrahere contra canonicas & imperiales sanctiones praesumpserant: Idem Carolus imperator tamquam Christianissimus princeps, volens & in praemissis providere de remedio salutari, etiam de quorundam principum, ducum, comitum, baronum, fideliumque aliorum consilio, auctoritate imperiali quaecumque statuta & consuetudines praedictas, tamquam per canonicas & ciuiles sanctiones expresse reprobata, cassauit, irritauit & annullauit, ac cassa & irrita, nulliusque roboris esse voluit penitus & momenti, praecipiens sub indignatione banni imperialis vniuersis & singulis principibus ac dominis temporalibus, consulibus, potestatibus, & aliis in officiis publicis constitutis, quatenus extunc ipsorum statuta & ordinationes, sicut in praedictum ecclesiasticae libertatis edicta fuerant, omnia reuocarent & de luce tollerent: quodque secundum ea non iudicarent amplius, nec sententias ferrent, aut eisdem in iudicio, vel extra iudicium quomodolibet pro & contra ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronuntiauitque insuper & eadem decreuit auctoritate, quod quicumque laicus, cuiuscumque status, gradus aut conditionis existeret, ausu sacrilego & propria temeritatis audacia sacerdotem vel clericum saecularem vel religiosum diffidaret, prosciberet, capti-

Concil. Tom. 29.

LIII ij

uaret, spoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, ac huiusmodi maleficia perpetrantes & facientes scienter receptaret, vel eis fauorem præstaret, præter pœnas a sacris Canonibus, imperialibus & legalibus sanctionibus in tales promulgatas, eo ipso redderetur infamis, ac omni honore priuatus, nec ad placita vel consilia nobilium admitteretur quouis modo. Hortans insuper in Domino & requirens ecclesiasticos prælatos, in illis partibus, in quibus committerentur talia, constitutos, vt legem imperialem huiusmodi per eorum ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores huiusmodi per simulatam ignorantiam suas in hac parte valeant malitias excusare, prout in edictali lege prædicta plenius continetur. Quia non tantum in prouinciis & regnis, quæ Romanum profiterentur imperium, sed fere modernis temporibus vbique in toto Christiano orbe neglectis huiusmodi Lateranensis Concilii constitutionibus, imperialibus ac sacris sanctionibus quibuscumque, ab impiorum malitia aduersus ecclesias & clericos, nulla reuerentia, nullo Dei timore, nulloque animarum interitu pensatis, eorundem temere audacia creuit insolenter. Igitur auctoritate Dei omnipotentis prædicta omnia innouat, statuit & confirmat, perpetuisque futuris temporibus ab omnibus Christi fidelibus vbilibet in omnibus & per omnia, iuxta ipsarum constitutionum tenores, sub bannis aliisque pœnis & censuris supra in eisdem comprehensis inuiolabiliter obseruandis.

Concil. Lateran. sub Alex. III. cap. 19. & sub Innoc. III. cap. 46.

Ceterum in eodem Lateranensi Concilio statutum & ordinatum fuit, quod episcopus siue ordinarius cum consensu sui cleri ad releuandas communes utilitates & necessitates, vbi laicorum non suppetunt facultates, absque vlla coercitione possit ecclesiasticas personas compellere ad aliqua subsidia laicis conferenda, prius Romano pontifice consulto: & hac sumpta occasione, laici in quampluribus partibus, minis vel terroribus, seu aliquibus aliis modis aut coloribus diuersis ducunt, vt tallias, collectas, subsidia, impositiones, vel alia quæuis onera, quocumque vocabulo seu nomine nuncupentur, ecclesiis vel clericis imponant, aut imponi consentiant, vel

ANNO
CHRISTI
1418.

permittant, cum facultate interdum per ipsosmet laicos aut alios exigendi. Ex quo constitutio Lateranensis, quæ ob pietatem laicorum fuit ordinata, in impietatem & graue damnum & iacturam ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum vertitur. Ideo dicta sancta Synodus hoc perpetuo statuit & ordinat, quod nulla persona sæcularis cuiuscumque dignitatis aut status & conditionis existat, etiam si imperiali, regali vel quacumque præfulgeat dignitate, sub prætextu consensus episcopi, clero tallias, impositiones & onera vel subsidia imponat, exigat vel recipiat, nisi prius Romano pontifice consulto, sub pœnis, bannis & censuris eisdem.

Idem per omnia, Romano pontifice dictas tallias vel collectas imponente, vel imponi mandante, consensu episcopi vel cleri non accedente. Episcopi vero, qui contra prædictum Concilium Lateranense vel hanc constitutionem, imponendo vel imponi consentiendo, vel exigendo consenserint, eis ingressus ecclesiæ ipso facto sit tamdiu interdictus, donec læsis ecclesiis & clericis ac ecclesiasticis personis plenariam fecerint satisfactionem. Prælati quoque qui contra sacrorum Canonum dispositionem, & contra constitutionem Bonifacii octaui, quæ incipit, Vas electionis, visitando, vel caritativum subsidium, nec non tallias & collectas imponendo, ecclesias & ecclesiasticas personas quocumque modo grauant, ipso facto ab omni administratione temporalium & spiritualium (etiam si in pontificali vel alia dignitate existant) sint priuati, aliis quidem pœnis in iure expressis in suo robore permanentibus.

Item considerans, quod nonnulli summi pontifices ex captata opportunitate nonnullorum regum, dominorum, comitum, & aliarum quarumuis personarum temporalium, aut ad ipsorum beneuolentiam captandam, vel alio spiritu ducti, concesserunt & licentiam dederunt eisdem tallias, collectas, subsidia, impositiones, datias, pedagia, aut alia quæuis onera huiusmodi imponendi vel exigendi ab ecclesiis, clero vel ecclesiasticis personis in eorundem dominio vel districtu aut alibi constitutis & commorantibus, alias ad tempus, alias ad certam summam, sub diuersis modis, formis vel conditionibus, in confectis literis

apostolicis vel aliis huiusmodi licentiæ comprehensis, idcirco omnes & singulas concessiones & licentias huiusmodi, etiam si de plenitudine potestatis Romanorum pontificum aut apostolicæ sedis, quouis modo & quibusvis personis sub quibuscumque verborum tenoribus concessas, reuocat, cassat, annullat & irritat. Dictisque dominis, comitibus & aliis, vt supra expressis, mandat & iubet in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœnis, bannis & censuris, nec non in triplum restitutionibus supra expressis, quas incurrunt ipso facto, quod abinde inantea dictis concessionibus, licentiis, aliqua & aliquibus ex ipsis nullo modo per se vel alium aut alios, directe vel indirecte, palam, publice vel occulte, imponendo vel exigendo, quoquo modo vtantur: quinimo priuilegia, concessiones & scripturas huiusmodi super dictis concessionibus & licentiis confectas de luce aboleri faciant.

Item eadem auctoritate statuit, ordinat, decernit & declarat, quod regna, prouinciæ, comitatus, dominia, territoria, ciuitates, districtus, terræ, villæ, castra, fortalitia, possessiones, ædificia, grangia & quauis alia bona, res, iura, iurisdictiones, actiones reales & personales, spirituales & temporales, ac patronatus & pertinentiæ eorundem, & ecclesiarum cathedralium diocesæ, quæ Romanæ seu patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, abbatialibus & quibusvis aliis collegiatis secularibus vel regularibus ecclesiis, monasteriis, prioratibus, mensisque cathedralibus & abbatialibus, capitulis, collegiis seu conuentibus, hospitalibus, xenodochiis, & quibusvis aliis piis locis, alicui vel aliquibus ex ipsis temeritate vel audacia, dolo, vi vel fraude, quomodocumque & qualitercumque per quasvis personas ecclesiasticas vel laicales, capitula, collegia, dominos, comitatus & vniuersitates, etiam si imperiali, regali, cardinalatu, pontificali, vel alia quauis ecclesiastica vel laicali præeminentia & dignitate præfulgerent, a tempore felicitis recordationis Gregorii vndecimi inclusiue citra (post cuius quidem Gregorii decessum schisma præsens, proh dolor, in Dei ecclesia ortum habuit) quauis occasione, seu colore quæsito fuerint inuasa, occupata, vsurpata, captata, seu detenta, huiusmodi ecclesiis, monasteriis, prioratibus, mensisque cathedralibus & abba-

ANNO
CHRISTI
1418.

tialibus, capitulis, collegiis, seu conuentibus, hospitalibus, xenodochiis & piis locis, videlicet illi & illis, cuius, quorum vel quarum tempus & in tempore inuasionis, occupationis, vsurpationis, captionis seu detentionis huiusmodi erant & nunc sunt, dummodo tempore inuasionis, occupationis, vsurpationis, seu detentionis prædictæ, vel prius, possessiones, ecclesias, monasteria, prioratus, mensas cathedrales & abbatiales, capitula, conuentus, hospitalia, xenodochia & pia loca, aut per aliquem vel aliquod ex ipsis, coram aliquo de executoribus, siue conseruatoribus, de quibus infra fit mentio, probetur infra tempus quadrimestre a die probationis prædictæ continue currendum, vel si fama de dicta possessione, aut secuta inuasionem, occupationem, vsurpationem, captionem, seu detentionem huiusmodi erit in diœcesi ecclesiæ, monasterii, prioratus, mensarum cathedralium, abbatialium, capituli, collegii, conuentus, hospitalis, xenodochii, vel pii loci huiusmodi, similiter infra simile quadrimestre continuandum a die legitimæ citationis, monitionis seu requisitionis personaliter factæ, vel si possessoris copia commode haberi, aut bene tute ac legitime citari non possit, tunc & eo casu moneri & requiri valeat per edictum in aliquo loco diœcesis, vel ipsi diœcesi propinquo, vbi inuasor, occupator, vsurpator, captor, seu detentor habitare consueuerat, ad habitandum vacua & expedita, plenarie, realiter & cum effectu, omni cessante excusatione & exceptione, restituantur, reddantur & redintegrentur, ac pacifice dimittantur sub pœnis, bannis & censuris, & sub aliis vt supra, & sub triplicata restitutione, & sub infamia & occupatione & iuris amissione superius nominatis: quas negligentes, inobedientes, transgressores, rebelles, & contra facientes incurrent ipso facto, a quibus pœnis & censuris & aliis prædictis non possint absolui, nisi prius factis (vt præfertur) plenius & integris restitutionibus. Et nihilo minus ex abundanti cautela ipsa sancta Synodus ex certa scientia prædicta bona, regna, ciuitates & cetera vt supra, illis quibus erant (vt præfertur) restituit, reddit & redintegrat per præsentem. Et insuper liceat prælatis, capitulis, conuentibus & rectoribus ecclesiarum, monasteriorum & locorum huiusmodi, quorum talia regna, bona, & cetera erant,

& nunc sunt, eorumque successoribus, aut eorum procuratoribus & syndicis, auctoritate propria, alicuius consensu vel licentia minime requisita, possessionem illorum intrare, capere aut detinere libere & impune, constitutionibus & priuilegiis apostolicis & imperialibus, & aliis quarumuis personarum, nequaquam obstantibus. Rursus, quia contractus celebrari, nec non concessionem super regnis, prouinciis, ciuitatibus, castris, villis, & aliis bonis supra expressis, viro non purgato, verisimiliter ad vexationes redimendas facti vel factæ præsumerentur: eapropter ipsa sancta Synodus ex certa scientia omnes & singulas concessionem, donationem, venditionem, alienationem, pignorationem, diuisionem, separationem, dimembrationem, distractionem, extenuationem, permutationem, obligationem, declarationem, reuocationem, infeudationem, reinfeudationem, pacta, prouisiones, promissionem, sententias & alios contractus quosque, etiam si iuramentis fuerint conuallidati & conuallidati, etiam per viam aut modum cuiuscumque contractus, etiam in illis contenta, sub quacumque verborum conceptione appareant, post inuasionem, occupationem, vsurpationem, captionem vel detentionem regnorum, prouinciarum, ciuitatum, & aliorum alicuius vel aliquorum bonorum huiusmodi, & ante eorundem bonorum plenariam restitutionem, de, in, pro, & aut super eisdem alicui vel aliquibus ex regnis, & aliis bonis huiusmodi, vel ipsorum aut eorum aliquibus iuribus, iurisdictionibus, actionibus & pertinentiis realibus & personalibus atque mixtis, spiritualibus & temporalibus quibuscumque, quibusuis dominis, dominiis, comitatibus, vniuersitatibus, capitulis, collegiis, patriarchalibus, vel aliis ecclesiis quibusuis, siue eorum mensis, aut aliis personis quibuscumque ecclesiasticis vel laicalibus, etiam si imperiali, regali, pontificali, vel alia ecclesiastica & temporali præfulgeant dignitate, quauis occasione, a dicto tempore Gregorii inclusiue citra, quomodocumque & qualitercumque factis & concessis, faciendis, concedendis per Romanos pontifices motu proprio ex certa scientia de plenitudine potestatis, cum omnium defectuum supplemento, ac de & cum consensu & consilio sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, siue per modum,
aut

ANNO
CHRISTI
1418.

ANNO
CHRISTI
1418.

aut viam contractuum quorumcumque, vel alias & quavis auctoritate, etiam apostolica, imperiali, regali, legatorum, nuntiorum aut vicariorum sedis apostolicæ, siue ordinariæ, legata vel delegata, etiam si factum & concessum fuerit per illas personas, aut de & cum consensu illarum, ad quas in talibus de iure & de consuetudine facere, concedere & consentire pertinuerit, nullas & nullos, nulliusque iuris, efficaciam, firmitatis, roboris & momenti, atque viribus euacuatos & euacuatas fuisse & esse decreuit & declarauit. Et nihilo minus ex abundanti cautela, ipsas & ipsos reuocat, cassat, abolet, irritat & annullat, ac viribus euacuat, ipsaque regna & prouincias, ciuitates & alia bona cum iuribus & omnibus aliis supradictis, tenore præsentium illis, quorum vel quarum (vt præfertur) erant & sunt, reddit, restituit & redintegrat. Statuens quoque & præcipiens, decernens & declarans, ipsa omnia & singula reddenda, restituenda & redintegrandam, quibus (vt præfertur) erant & sunt, vacua & expedita plenarie, realiter & cum effectu, omni cessante excusatione, infra dictum quadrimestre, sub eisdem pœnis, bannis & censuris, & aliis, quas incurrunt ipso facto, & a quibus non possint absolui, nisi vt supra continetur: aliis tamen iuris remediis pro prædictis executioni demandandis in suo robore permanentibus. Et nihilo minus liceat prælatis & aliis, quorum talia bona (vt præfertur) erant & sunt, possessiones intrare, & cetera, vt supra continetur.

Item dicta sancta Synodus eadem auctoritate ex certa scientia decernit & declarat, omnes & singulas concessiones, donationes, obligationes, venditiones, extenuationes, pignorationes, diuisiones, separationes, dimembrationes, distractiones, permutationes, obligationes, declarationes, reuocationes, infeudationes, reinfeudationes, ac censuum, fructuum, seu responsionum aliarum, quocumque nomine seu vocabulo nuncupentur, extenuationem, extinctionem, pacta, promissiones, prouisiones, sententias, & alios contractus quoscumque, etiam si iuramentis fuerint conualidatæ & conualidati, etiam per viam aut modum cuiuscumque contractus, & in illis contenta, sub quacumque verborum conceptione appareant, quibusuis patriarchis, primatibus, archiepiscopis,

Concil. Tom. 29.

M m m m

episcopis, eorumque ecclesiis cathedralibus, siue antiquis, siue post dictum schisma erectis, aut eorum mensis, capitulisque, collegiis, comitatibus, seu vniuersitatibus & personis, etiam imperialis, regalis, reginalis, pontificalis, cardinalatus, aut cuiusuis ecclesiasticæ vel mundanæ fuerint dignitatis, præminentia, status vel conditionis, de, in, pro aut super regnis, prouinciis, comitatibus, dominiis, territoriis, ciuitatibus, districtibus, terris, villis, castris, fortalitiis, possessionibus, ædificiis, grangiis, & quibusuis aliis bonis, rebus ac pertinentiis suis, iuribusque, iurisdictionibus & actionibus realibus & personalibus atque mixtis, cathedraliumque ecclesiarum diœcesibus, ac patronatum iuribus, & quibusuis aliis tam spiritualibus quam temporalibus, sine aliquo vel aliquibus prædictorum ad Romanam, patriarchales, metropolitanas, cathedrales, abbatiales, & quasuis alias collegiatas & non collegiatas, regulares & sæculares ecclesias, monasteria, prioratus, mensasque ipsarum ecclesiarum, capitula seu conuentus eorum, aliquos vel aliquas ex ipsis factas & factos, præter vel contra dispositionem iuris scripti, a dicto tempore Urbani papæ V I. inclusiue citra, quomodocumque & qualitercumque, vsque in præsentem diem, sub quibusuis titulis, iuribus, actionibus, causis, modis, conditionibus, viis siue formis, & quauis occasione, etiam motu proprio, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, ac cum suppletionem omnium defectuum, etiam de & cum consilio & consensu sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, siue per viam aut modum contractuum quorumcumque, vel alias & auctoritate quacumque, etiam apostolica, imperiali, regali, reginali, legatorum, nuntiorum aut vicariorum sedis apostolicæ, siue ordinaria, delegata vel subdelegata, vel quacumque alia, etiam si factum & concessum fuerit per illas personas, aut de & cum consensu illarum, ad quas in talibus de iure & consuetudine facere, concedere & consentire pertinuerit, fuisse & esse ipso iure nullos & nullas, ac nullius efficaciam, roboris & momenti, viribusque euacuatos & euacuatas, & perinde censerent & haberi, sub & cum modificationibus infra scriptis, ac si facti & factæ non fuissent. Concessionisque, donationes, & cetera huiusmodi, & alias

ANNO
CHRISTI
7418.

quafuis, quæ cum detrimento vel læfione ecclefiarum, monasteriorum, menfarum, capitulorum, conuentuum, locorum feu perfonarum alicuius vel aliquarum huiufmodi factæ a dicto tempore Urbani papæ VI. citra, ex certa fcientia & auctoritate prædicta hac edictali conftitutione, fub & cum fupra & infra dictis modificationibus reuocat, cafat, irritat & annullat. Et nihilo minus, ad abundantiorẽ cautelam tollit & penitus viribus euacuat, dictaque regna, loca, territoria, diftrictus, iura, iurifdictiones, &c. ac bona huiufmodi ad ius & proprietatem ecclefiarum, monasteriorum, locorum, menfarum, capitulorum, conuentuum & perfonarũ huiufmodi, ad quæ feu quas fpectabant & nunc fpectant & pertinent, fub & cum fupra & infra fcriptis modificationibus reftituit, reddit & reincorporat penitus per præfentes, quorum omnium poffeffionem vacuam, liberam, expeditam nihilo minus illi qui talia bona tenuerint & tunc tenebant, debeant ac etiam teneantur infra dictum quadrimeftre a die probationis vel citationis, monitionis feu requifitionis vt fupra fiendæ, libere, totaliter & cum effectu vacua & expedita relaxaffe & dimiffiffe ecclefiis, menfis, monasteriis, hofpitalibus, locis, & aliis perfonis huiufmodi, ad quas ante concefiones prædictas fpectabant & pertinebant, & nunc fpectant & pertinent, feu fpectare & pertinere poffunt, fub pœnis, bannis & cenfuris, & aliis vt fupra, quas incurrunt ipfo facto, & a quibus abfolui non poffunt, nifi prius fatisfecerint & reftituerint, vt fupra continetur. Et nihilo minus liceat prælatis, capitulis, conuentibus ac rectoribus ecclefiarum, monasteriorum & aliorum locorum huiufmodi, quorum talia bona fuerunt, & nunc funt, eorumque fuccefforibus & fyndicis auctoritate propria, alicuius confenfu vel licentia minime requifitis, cautione tamen prius præftita, vt inferius denotatur, poffeffionem illorum intrare, capere & recipere libere & impune, non obftantibus conftitutionibus, priuilegiis fedis apoftolicæ eius auctoritate concefis, factis, concedendis & faciendis, ac impetrationibus fub quacumque verborum expreffione & tenoribus concefis, & etiam fi de ipforum tenoribus expediret facere mentionem fpeciale de verbo ad verbum, in totum vel in partem, quorum & quarum omnium ipfa fancta

Synodus hic pro expressis, lectis & insertis haberi vult & decernit: nec non præscriptionibus, consuetudinibus & aliis contrariis & repugnantibus, aut quouis modo huic constitutioni de cetero nequaquam obstantibus quibuscumque.

ANNO
CHRISTI
1418.

Prædicta quoque, quæ de declarationibus ac reuocationibus huiusmodi dicta sunt, non vendicent sibi locum in infeudationibus, reinfeudationibus, concessionibus & locationibus quibusuis perpetuis, solitis ante dictum tempus domini Gregorii papæ XI. fieri & dari in feudum, reuifendum vicariatum, aut emphyteosim, & regnis, provinciis, ciuitatibus, terris, castris, villis, locis, territoriis, districtibus & aliis bonis seu iuribus huiusmodi, aliquo vel aliquibus eorundem, dummodo vtile dominium eorundem per pacificam tenentiam corporalis possessionis ante huiusmodi infeudationem, reinfeudationem, concessionem, non fuerit cum directo dominio incorporatum & solidatum; ac etiam quod canon & census antiquitus ante tempus domini Gregorii papæ XI. pro illis præstari & dari soliti, consueti seu admissi, si qui præstabantur, debite persoluent. Nec etiam locum habeant in venditionibus bonorum, quorum iusta precia apparebunt & probabuntur, conuentuum & locorum huiusmodi, quorum (vt præfertur) erant dumtaxat, versa esse in permutationibus factis, versis in euidentem vtilitatem ecclesiarum, monasteriorum & aliorum huiusmodi. Nec locum sibi vendicent in concessionibus per Romanos pontifices pro dotatione in totum vel in partem, ac pro alia quauis subuentione aliquarum ecclesiarum cathedralium & aliarum indigentium quarumcumque ciuitatum factis de aliquibus ecclesiis inferioribus & bonis earum, dummodo huiusmodi ciuitates ab antiquo & ante dictum schisma habuerint famam, titulum & nomen ciuitatis, & dummodo etiam huiusmodi concessa non fuerint alicuius ecclesie cathedralis, sed ab abbatialibus inferiorum ecclesiarum. Nec etiam sibi sortientur effectum in venditionibus, & aliis alienationibus bonorum, hospitalium, xenodochiorum & aliorum piorum locorum quorumlibet, quæ hospitalia, xenodochia, & pia loca, vt sunt, ad sancta Sanctorum sancti Spiritus in faxia de Vrbe, beatæ Mariæ

ANNO
CHRISTI
1418.

nouæ de Florentia, de scala, de feminis, ac de misericordia, de paradiso, & similia pro sustentatione pauperum & hospitalitate conseruanda consueuerunt ab antiquo bonorum vendere, aut taliter alienare, locare, aut vsufructum concedere, secundum eorum statuta seu laudabiles & antiquas consuetudines pacifice hæctenus obseruatas, priuilegiis etiam antiquitus a Romanis pontificibus quibusuis religiosorum ordinibus bonorum & rerum huiusmodi indultis, ac etiam suis consuetudinibus in talibus ab antiquo obseruatis, in suo robore permansuris. Nec etiam in vicariatibus, gubernationibus & ministracionibus, seu locationibus aut feudis prouinciarum, terrarum, castrorum, locorum, seu bonorum huiusmodi ad tempus nouem annorum, vel abinde infra dumtaxat duraturis: prædictis tamen modificationibus non se ad prædicta inuasa, occupata, vsurpata, capta seu (vt præfertur) detenta, aequaliter extendentibus. Ceterum decreuit præfata sancta Synodus eadem auctoritate, quod quicumque ex iustis & rationabilibus causis probauerit legitime se, de, aut super regnis, prouinciis, ciuitatibus, terris, castris, locis, vel bonis huiusmodi, vel eorum aliquo, pro preciiis perfolutis, vel ex causa depositi, siue mutui, aut alias ex iustis causis recipere debere a Romana seu aliis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, hospitalibus vel locis ipsis, seu eorum aliquo, aut ex prælatis, seu rectoribus eorundem, occasione dumtaxat ecclesiarum, hospitalium seu locorum præfatorum, ad quæ ipsa bona pertinuisent vel pertinerent, aliquas florenorum, seu pecuniarum summas, aut res alias, ac illas versas esse in vtilitatem euidentem ecclesiarum seu monasteriorum aut locorum huiusmodi, quod facta coram loci ordinario deductione, aut defalcatione fructuum aut prouentuum perceptorum arbitrio dicti ordinarii loci, siue rerum & bonorum de quibus ageretur, super quo ipsius ordinarii conscientiam onerauerit & onerat, non obstantibus quibuscumque conuentionibus, seu pactis initis, vel adiectis, etiam auctoritate apostolica, vel alia quomodolibet roboratis, ac iuramento vallatis, maxime quoad probandum precia, res vel pecunias, versa esse in euidentem vtilitatem, vel quorum talia bona fuissent, seu vt fructus in sortem computare quis minime te-

neretur, aut quod faceret fructus suos, seu aliis contrariis & aliter disponentibus quouis modo, ecclesia, seu monasterium, hospitalē vel locus huiusmodi residuum, quod declaratur ad restituendum illi qui soluisset, aut eius heredibus, seu ius vel causam aut titulum suum habentibus, infra annum a die talis declarationis continue computandum, vel ad huiusmodi bona obligata vsque ad satisfactionem, vt infra declaratur, ipsis creditoribus restituendum, pro dicto residuo declarato, eo ipso prælatus, capitulum, conuentus ac rectores talis ecclesiæ, monasterii, hospitalis vel loci, cuius vel quorum (vt præfertur) ipsa bona erant, sub pœna excommunicationis sint adstricti. Et nihilo minus pro securitate creditorum super satisfactione huiusmodi, nullus ex prælatis & aliis supradictis possit aut debeat per se aut per alium possessionem talium bonorum intrare, capere vel retinere, nisi idonea cautione prius per ipsos præstita coram loci ordinario, ipsius vel ipsorum creditorum, & huiusmodi ordinario recusante, coram loci ordinario debitoris de eo quod ab ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, vel locis aliis, seu personis supradictis ratione declarationis huiusmodi tenerentur habere creditores ipsi infra dictum annum persoluendo, bona quoque talibus vendita, pignorata, seu aliter obligata, alienata, vel vt supra concessa, illis vsque ad satisfactionem specialiter obligata remaneant & existant. Si autem infra dictum annum satisfactio quantitatis declaratæ facta non fuerit, (vt præmittitur) præuis tribus protestationibus, diuersis diebus per creditores, seu eorum procuratores factis, præfatis capitulis, conuentibus aut rectoribus huiusmodi super dicta satisfactione, saltem infra mensem a die primæ protestationis facienda: tunc lapso dicto mense liceat huiusmodi creditoribus, aut heredibus, ius vel causam, seu titulum habentibus ab illis, per se vel procuratores suos auctoritate propria possessionem bonorum huiusmodi intrare, capere, ac illa tenere & possidere, fructusque & emolumenta ex illis percipere. Deducendo tamen de forte ipsius debiti quousque eidem fuerit de quantitate huiusmodi debiti, vt præfertur, declarata integraliter satisfactum, ita tamen prouiso circa præmissa & quodlibet prædictorum, quod pro debito Romanæ vel

ANNO
CHRISTI
1418.

alterius cathedralis vel inferioris ecclesie, hospitalis, aut pii loci, prelati, rector, siue alia persona huiusmodi, nisi solitum pro sua ecclesia, hospitali, & pio loco, in cuius euidentem utilitatem dumtaxat probabiliter, ut prefertur, precium & valorem versum esse fideiubere, vel alias cautionem de debitis declaratis, vel alias minime prestare teneatur: nec huiusmodi bona pro aliis debitis quoquo modo remaneant obligata, nec etiam de ipsis restitutio & redintegratio, ut supra est declaratum, quouis modo valeat nec debeat retardari. Ceterum quia lex salubris preteritis intendit & futuris casibus providere, decernit ipsa sancta Synodus eadem auctoritate, quod de cetero premissis & infra scriptis nulla feudatio, locatio, donatio, venditio, permutatio, pignoriatio, obligatio, siue quavis alienatio, aut declaratio, de aut super regnis, prouinciis, ciuitatibus, terris, castris, locis, iuribus ac iurisdictionibus, seu bonis predictis, aut aliquo eorundem auctoritatibus huiusmodi, seu earum aliqua, vel alias sine expressa deliberatione Concilii generalis, vel saltem prouincialis, cum euidenti tamen utilitate ecclesie & pii loci huiusmodi fieri possit, vel debeat, quouis colore quæsito, seu iam facta confirmari, extendi vel prorogari, aut de nouo concedi quouis modo. Saluo, quod locationes vsque ad predictum tempus nouem annorum, vel abinde infra, & non ultra, tam apostolica quam ordinaria auctoritate valeant celebrari, cum dicta prestatione tamen census soliti siue rationabilis. Ita tamen, quod fiant cum euidenti utilitate huiusmodi, tam per Romanum pontificem, quam per prelatos & rectores secundum iuris scripti formam, etiam infeudationes, emphyteoticæque concessiones, occupationes & reuocationes de bonis feudalibus ac emphyteoticis ante dictum tempus Gregorii vndecimi infeudari solitis, ad ecclesias, monasteria, hospitalia, vel pia loca huiusmodi quomodolibet deuolutis & deuoluendis in posterum, cum modificationibus infra scriptis pro censu & canone solitis, aut aduictis ante prefatum tempus Gregorii vndecimi, & non de aliis, aut aliter vilo modo possint etiam fieri concessiones vicariatuum, gubernationum & administrationum, regnorum, prouinciarum, ciuitatum, terrarum, castrorum, locorum prefatae ecclesie Romanæ, quæ

ante huiusmodi tempus concedi in vicariatum seu administrationem per Romanam ecclesiam confueuerunt per Romanos pontifices ad tempora nouem annorum, & abinde infra, & non vltra, cum responsionibus, canonibus & censibus consuetis, melioratis seu adauctis ante tempus præfatum, hoc addito, declarato ac reseruato, quod vicariis non soluentibus eidem Romanæ ecclesiæ censum ac canonem debitum in terminis appositis, vel saltem infra mensem post lapsum terminum, eo ipso absque aliqua declaratione ad censum & canonem duplicatos persoluentes præfata Romanæ ecclesiæ teneantur ac adstricti sint. Et si primum & duplicatum censum seu canonem prædictos infra alium mensem sequentem non soluerint, ipso facto sententias, banna & pœnas huiusmodi incurrant. Si autem infra semestre a lapsu primi termini præfati solutionem huiusmodi non fecerint de censu & canone, vt præfertur, ipso iure cadant ab omni possessione vicariatus, gubernationis & administrationis huiusmodi, & concessâ ad liberam ordinationem Romani pontificis & Romanæ ecclesiæ præfata deuoluantur, & deuoluta ipso facto intelligantur esse, & sint cum omni rerum integritate & causa. Et illud idem intelligatur seruari, & fiat in & de vicariis, gubernationibus & administrationibus prouinciarum, ciuitatum, terrarum, castrorum & locorum aliorum quorumuis, ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium & locorum aliorum prædictorum, & cuiuslibet eorumdem. Præmissa quoque extendantur ad solutionem feudorum, bonorum emphyteoticorum, & aliorum locatorum responsiones quouis titulo, tam ad Romanam, quam ad alias ecclesias, monasteria & loca alia superscripta, communiter vel diuifim, prout de censibus & canonibus vicariatuum prædictorum superius continetur. Districtius nihilo minus inhibens, ne qua prorogatio, seu noua concessio vicariatuum, gubernationum seu administrationum huiusmodi de regnis, prouinciis, ciuitatibus, terris, castris & locis dictæ Romanæ ecclesiæ fieri possit aut debeat, nisi de consilio & assensu Romanorum pontificum & dominorum collegii sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, eorum scrutatis votis, vel saltem per duas partes dicti collegii in concordia, & non nisi pro euidenti causâ, statu & honore

ANNO
CHRISTI
1418.

honore ecclesiæ præfatæ : ita tamen , quod debeant ipsi cardinales in literis apostolicis vel contractibus desuper factis , vna cum Romano pontifice propriis manibus se subscribere , adinstar antiquorum priuilegiorum apostolicorum in perpetuum. Et si aliter , secus , seu alio modo in præmissis & infra scriptis omnibus & contentis in præsentî capitulo , vel circa ea facta , seu declarata etiam motu proprio , & de cardinalium consilio seu consensu , seu alias , & apostolica vel quauis alia auctoritate , non teneant ipso iure , & nullum ius contrahentibus vel recipientibus aliter acquiratur. Et nihilo minus vicarii ipsi , gubernatores & administratores , & alii recipientes , quouis nomine nuncupentur , vel titulo , vel modo , etiam si sponte concederentur , vel alias contrarium facientes , ipsos processus , banna , sententias & pœnas ipso facto se noverint incurrisse : concessionibus , constitutionibus , priuilegiis apostolicis , ac aliis quarumcumque personarum , nec non consuetudinibus & aliis quibusuis in contrarium facientibus , nequaquam obstantibus. Hoc sane intellecto , quod modificationes ipsæ superscriptæ , & ipsarum aliqua , aliis qui tenent & tenuerunt regna , prouincias , ciuitates , terras , castra , siue alia bona , vt in alio infra scripto capitulo continetur , scilicet , inuasa , occupata , capta , seu (vt præfertur) detenta , non valeant in aliquo suffragari : quinimo ad plenarie restituendum , reddendum , & ad alia faciendum (vt in eodem capitulo continetur) protinus sint adstricti.

*Ex eodem Concilio Constantiensi , quando soluenda sit ,
sue deneganda decima.*

CVM paterna pietas filiis hominum prouidere debeat, ^{Vide supr. scilicet. 43.} licet in casu necessitatis vrgentis valeat vicissitudo laudabilis , declarat sancta Synodus , non licere Romano pontifici indictiones siue exactiones quascumque super ecclesiam vel ecclesiasticas personas imponere per modum decimæ , vel alio quouis modo. Si vero cum necessitas acciderit papæ , qua esset eidem debite subueniendum , vocato generali Concilio , secundum quod expediens videbitur & vtile , secundum decretum Concilii prouideatur eidem.

Concil. Tom. 29.

Nnnn